



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Dispvt. CXLIV. Quo pacto nomen verbi denotet respectum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

Non ratione solius essentiae, nec solius proprietatis personae, sed ratione virtutisque simul, verbum habet respectum ad creaturas. cap. 2.

CAPVT I.

Nomen verbi in Deo primarie significat relationem producti, connotat autem secundarie essentiam.

*S*anctus Thomas quasi 4. de veritate, art. 5. & in primo distincti 27. quasi 2. art. 2. quem sequitur Ferrariensis 4. contra gentes, cap. 13. versu. Ad secundum dubium, affirmat nomen verbi directe, & primarie in Deo significare essentiam, & sicut in nobis qualitatem absolutam; relationem vero producti, seu dicti secundarie connotare. Probat autem, quia verbum in humanis primarie significat qualitatem, id quod, ut manifestum supponit Ferrariensis, connotat autem relationem producti, ergo in Deo primarie significabit essentiam loco qualitatis absolute, secundarie vero relationem producti.

Opinio S. Thomae & Ferrar.

Confirmatur.

Verum multo probabilior est Caietani opinio in hoc articulo, qui asserit, verbum primarie significare relationem dicti, & producti, connotare autem essentiam: existimantque eam esse sententiam Doctoris sancti in artic. 1. & 2. huius questionis, & in hoc artic. 3. ad 4. ibique retractasse sententiam, quam prius fuerat secutus, ait enim in ea solutione, in hac verba. *Nomen verbi principaliter impositum est ad significandam relationem ad dicentem, & ex consequenti ad creaturas.* Et in artic. 1. sic ait: *Verbum, secundum, quod proprie dicitur in diuinis, significat aliquid ab aliquo procedens, quod pertinet ad rationem nominum personarum in diuinis, eo, quod persona distinguuntur secundum origines.* Et in artic. 2. *Verbum est proprium nomen personae filij, significat enim quandam emanationem intellectus.* Quibus locis non obscure indicat, primarium significatum huius nominis esse relationem procedentis intellectum. Nam, quod ait Ferrariensis, S. Thomam non putasse, verbum significare formaliter ipsam relationem, sed illud, quod procedit, & cui conuenit relatio, abque illo fundamento videtur dictum. Cum vero ait, significare emanationem, loquitur sane de illa non formaliter sub ratione emanationis, & via, sed sub ratione relationis in facto esse, hoc enim eodem sensu dixit, personas distinguere per origines, cum in sententia eius distinguatur per relationes in facto esse.

Probabilior Caietani sententia.

25

Ceterum hac ratione probatur haec sententia. Non minus nomine verbi exprimitur relatio dicti, quam nomine filij relatio geniti: nomen autem, *Filius*, significat relationem producti per generationem, ergo nomen, *Verbum*, significat relationem producti per dictionem.

Probat sententia Caiet.

Addit deinde Caietanus, nomine verbi, & alijs nominibus personalibus primarie significari relationem, secundarie vero connotari essentiam sicut etiam hoc nomine, *Persona*, quod quidem de alijs nominibus Ferrariensis non concedit, licet id fateatur de nomine, *Persona*, fallitur tamen, omnium enim eadem ratio est, nisi quod nomine, *Persona*, relatio primarie, & directe significatur, materialiter tamen non formaliter, ut supra disputat. 137. cap. 2. dictum est. Alijs vero nominibus relatiuis incomplexis significatur relatio indirecte, & expresse, ut nominibus, *Filius*, *Verbum*, *Pater*,

3.

R

Pater,

potius ex eo, quod est comprehensua essentiae, hoc habet, ut omnes creaturas possibiles cognoscere possit, non eodem gradu necessitas & prioritatis cum ipsa essentia, sed consequenter, & secundarie, sicut cum ipsa essentia comparatur. Nam sicut ad rationem comprehensionis pertinet, ut Deus cognoscere possit secretum voluntatis suae, & quae in tempore facere decreuit, horum tamen cognitio actualis non requiritur, ut actu procedat verbum, quia hac multo posterius se habent quam verbi productio; ita etiam non requiritur actualis cognitio creaturarum possibilibus, quia haec quoque accidentarie sunt ad verbi productionem, & ordine originis non sunt per se requiritae, tamen si possibiles quidem necessario, sed non aequali gradu necessitatis illam continentur; nam futurae omnino contingenter cum illo comparantur. Cum vero obijciatur, omnipotentiam non posse intelligi sine creaturis possibilibus, quia ad illas refertur: Respondeo omnipotentiam, ut à nobis concipitur, & nominatur, non posse intelligi sine creaturis, quia relatiue concipitur, at vero quia, ut est in Deo, & absoluta, ut disputat. 104. cap. 6. probatum est; Recte intelligitur quid dictatur, & comprehensua notitia sine tali ordine, & abique eo, quod actu cum ea intelligatur creatura: sic enim nihil aliud est, quam ipse Deus in se absolute perfectus, quae res cum omnibus Theologis confessa sit, ut ibid. notauimus, mirari non debet quisquam, si dicamus, Dei omnipotentiam in se absolute à Deo cognosci, abque illo respectu ad creaturas. Potius, ut ibid. monstrauimus eorum opinio reprehensione digna est, qui, ut defendant, creaturas esse per se aequè necessarias ad verbi productionem cum essentia, comminiscuntur in Deo relationes ex natura rei ad creaturas.

Ad secundam rationem paulo antea dictam est, creaturas si considerentur quatenus in Deo sunt, ipse Deus, & vita illius, esse per necessitatem ad verbi productionem, & de his nullam esse questionem, at si consideretur secundum suas proprias rationes formales, nec esse idem cum Deo, nec ad verbi productionem per se requiritas.

Ad tertiam etiam quod dicendum sit, patet ex cap. 4. nam representare creaturas, non est in Deo aliqua perfectio relatiua ad creaturas, quae e medio tollatur ablatis creaturis, sed est ipsamet essentia Dei, quatenus in se absoluta: quae eodem modo in Deo permaneret, si nullae essent possibiles creaturae; sed non diceretur à nobis representatio creaturarum, quia haec intelligitur cum relatione rationis ad creaturas, quibus sublati omnino perit, sicut diximus de praesentia futurorum disputat. 68. cap. 6. quare non sequitur, necessariam connexionem vtriusque aequalem esse inter essentiam diuinam, & creaturas possibiles ad producendum verbum; quae alias esset, si essentia quatenus representans creaturas, relatione ex natura rei ad eas referretur.

DISPUTATIO CXLIV.

Quo pacto nomen verbi denotet respectum.

Nomen verbi in Deo primarie significat relationem producti, connotat autem secundarie essentiam, cap. 1. Pazquez in 1. partem Tom. 11.

Pater, Genitor, &c. dixi id de relatiuis incomplexis nam nomina incomplexa, vt, *Deus generans, Deus genitus, Deus pater, Deus filius*, vtrumque directe significant, & absolutam substantiam, & relationem: constant enim duplici simplici nomine altero absoluto, altero relatiuo.

*Dicitur
ratio Ferr.*

Argumentum vero Ferrariensis facile diluitur: dicimus enim, verbum in humanis significare primariè, & formaliter relationem producti per dictionem, vel saltem relationem dicti (nam disput. 142. cap. 4. ostendimus, non esse de ratione verbi in humanis, productio per dictionem, sicut est de ratione verbi in diuinis) qualitatem vero dictam, aut prolatione productam non significari primariè, sed secundariè, & materialiter tanquam subiectum huius relationis, quod ab ea denominationem accipiens vocatur verbum, sicut filius primariè relationem, secundariè vero substantiam ipsam, quæ dicitur filius, significat.

CAPVT II.

Non ratione solius essentie, nec solius proprietatis personæ, sed ratione vtriusque simul verbum habet respectum ad creaturas.

4.

*Ratione solius
essentie
referri ver-
bum ad cre-
aturas ar-
bitratur
Scot. &
alij.*

Cum diuinum verbum non solum respiciat patrem producentem, sed etiam creaturas, quatenus ipso dicuntur & proferuntur, non consentiunt Scholastici, ratione cuius ei conueniat respectus hic ad creaturas. Nam de relatione ad patrem certum est, solum ratione proprietatis personæ eam verbo conuenire. De relatione igitur ad creaturas duas extremas opiniones inuenio apud Scholasticos Scriptores. Prior est Scoti in 1. distinct. 27. quæst. 3. qui docet, verbum ad creaturas referri solum ratione essentie, non ratione proprietatis personæ: quinimo affirmat, nullam personam diuinam referri ad creaturas ratione personæ proprietatis, sed ratione solius essentie: ideoque donum non esse proprietatem Spiritus sancti: de quo iterum quæst. 38. art. 3. Hanc sententiam in hoc articulo soluit. 1. & Capreol. in 1. distinct. 27. quæst. 2. artic. 1. conclus. 5. Ferrar. 4. contra gent. cap. illo 13. vers. Adhuc tamen potest dici, &c. Et Caietan. in Comment. huius artic. sed, & Capreolus asserit S. Thom. hic retractasse opinionem, quam prius secutus fuerat in 1. distinct. 27. quæst. 2. art. 3. at Ferrariensis contendit S. Thom. nunquam oppositum docuisse, quia in 1. distinct. illa 27. solum dixit, verbum primariè referri ad patrem producentem, & producentem: secundariè vero ad creaturas, tanquam ad obiectum secundarium: an vero connotat respectum ad creaturas ratione personæ proprietatis, non dixisse: id ipsum autem omnino docuerat in illa solutione citata. Probari vero potest hæc sententia Scoti, quia respectus manifestantis ad res manifestas, sed manifestare creaturas vnicuique conuenit personæ ratione essentie: ergo verbo etiam ratione illius conuenit.

*Oppositum
Aureoli sen-
tentia.*

Posterior sententia est Aureoli, quem refert Capreol. quæst. illa 2. artic. 2. in argumentis contra quintam conclusionem, superiori omnino opposita: nempe verbum habere respectum ad creaturas ratione proprietatis solum personæ: quia quoties tribuitur personæ aliquis respectus, qui alijs non conuenit, tribuendus est illi ratione sin-

gularis proprietatis personæ: alias si ratione solius essentie adscriberetur personæ, omnibus esset communis. quia omnes in eadem essentie: quales sunt: sed solum verbum diuinum habet hunc respectum verbi ad creaturas, tanquam obiectas; ergo ratione solius personæ proprietatis ei conuenit.

Mihi tamen media quædam sententia multo probabilior visa est, quæ asserit, neque ratione solius essentie, neque ratione solius proprietatis, sed ratione vtriusque simul hanc relationem verbi ad creaturas secundæ personæ conuenire, & quidem eam non conuenire ratione essentie solum, satis probat ratio Aureoli, esset enim hæc relatio communis tribus personis, si ex sola essentie oriretur, quocirca ratio verbi essentialiter diceretur, nihilque aliud ea esset, quam ratio manifestantis per modum intellectus, quod disput. 142. ostendimus esse falsum. Porro non conuenire hanc relationem ratione solius proprietatis personæ, nisi essentia etiam peculiari ratione conueniret, probatur: nam proprietas personæ solum est relatio quædam ad personam producentem, vel productam, qualis significatur nomine, *Filius*, & nomine, *Pater*, ergo cum verbum ultra relationem, quæ habet ad patrem, habet etiam ad peculiarem relationem manifestantis ad res manifestas, signum est, ultra relationem, quæ est proprietas aliquod aliud includere: ergo essentia, quæ conuenit relationem manifestantis determinatam proprietate producti, est fundamentum peculiaris illius relationis, quam habet verbum ad creaturas: nec hoc minus negauit S. Thomas, solum enim docuit, primarium respectum verbi esse ad Patrem, secundarium vero ad creaturas, tanquam ad obiectum secundarium. Hinc colligitur id, quod optime Gabriel notauit in 1. distinct. 27. quæst. 3. artic. 3. conclus. 5. videlicet verbum, & filium non esse synonymum, nam quamuis eadem sit omnino relatio realis vtriusque: tamen aliquid connotatur nomine verbi, quod non connotatur nomine filij. Quare vero verbum non sit peculiaris notio, diximus disputat. 137. cap. 5. im merito tamen negat Gabriel, verbum connotare respectum rationis ad creaturas: Nominale enim has relationes, quæ vocamus rationis, non admittunt, sicut neque distinctionem rationis, vt vidimus disputat. 17. cap. 2. Quomodo autem nullus sit respectus realis in Deo ad creaturas, diximus disputat. 14. cap. 9. Hactenus tamen nullus posuit in verbo relationem plusquam rationis ad creaturas verbo ipso prolatas.

Vltimo obseruandum est, rationem verbi propter relationem, quam habet ad Patrem, vt ad producentem, & ad producentem, & ad creaturas, vt ad res ipso verbo dictas, etiam habere respectum ad ipsum Patrem: est autem hic respectus representantis ad eum, cui representatur, nempe S. Thomas artic. 1. huius quæst. ad tertium, Nihil est aliud dicere, quam proferre verbum, sed mediante verbo importat habitudinem ad rem intellectam. Nam que in verbo prolato manifestatur intelligenti. Nam quamuis pater non intelligat filio, & cura sapientia tanquam forma, vt retulimus ex Augustino, & alijs disputat. 142. cap. 1. 1. Nihilominus dicitur intelligere, & videre, & dicere conuenit in filio, & verbo suo; ipsumque sibi experire, vt sui imaginem, hæc autem non essent verba, nisi

8. verbum patri dicenti repræsentaret intelligibilia, & in eo relucere, & patri intenda proponeretur. Dicimus igitur verbum patri repræsentare, & eo patrem intelligere omnia, non sicut forma, sed sicut termino productio suæ intellectio- nis, sicut pater, & filius dicuntur diligere nos Spi- ritu sancto à se productio.

Quare non leuiter errant, qui dicunt, cum sit de ratione verbi, alicui repræsentare res dictas, & intellectas; ideo filium Dei esse verbum, non quia patri, sed quia sibi metipsum repræsentat. Quis enim hac ratione verbum patris, & non potius verbum sui ipsius esse affirmabit? Verbum enim ei, qui dicit ipsum, repræsentat res in eo dictas, non sibi ipsi. Est sane differentia inter verbum nostrum, & diuinum, quod nostrum est ipsamet formalis intellectio, qua constituitur aliquis in- telligens, & intellectio ipsa non producit, at diuinum verbum intellectio dicentis profertur, & intelligitur, nec est forma, qua ille, qui di- cit, intelligat, vt late ostendi disput. 14. cap. 4. Est tamen terminus huius intellectiois repræsen- tans patri veluti e regione, quidquid à patre intel- ligitur, & pater dicitur intelligere, & dicere se, & alia verbo suo. Quod vero verbum sibi ipsi re- præsentet omnia, quæ intelligit, non est, quid nota- tionale, & proprium personæ: hoc enim omnis persona habet ratione essentiæ, qua formaliter constituitur intelligens. In verbo autem aliqua peculiaris repræsentatio esse debet, quæ non sit communis toti Trinitati; quare oportet illam ef- se respectu patris proferentis, & dicentis; aliqui esset communis, & essentialis.

QUESTIO XXXV.

De imagine.

Deinde queritur de imagine. Et circa hoc queruntur quatuor.

ARTICVLVS I.

Virum imago in diuinis dicitur personaliter.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod imago non dicitur personali- ter in diuinis. Dicit enim August. in lib. de fide ad Petrum. Vna est sanctæ Trini- tatis diuinitas, & imago, ad quam factus est homo. Igitur imago dicitur essentiali- ter, & non personaliter.

2. Præterea. Hilarius dicit in libro de Synod. quod imago est eius rei, ad quam imaginatur, species indifferens. Sed species sine forma in diuinis dicitur essentiali- ter: ergo, & imago.

3. Præterea. Imago ab imitando dicitur. In quo importatur prius, & posterius. Sed in diuinis personis nihil est prius, & posterius. Ergo imago non potest esse nomen personale in diuinis.

Sed contra est, quod dicit August. quid est absurdius quam imaginem ad se dici? Ergo imago in diuinis relatiue dicitur. Et sic est nomen personale.

Respondendo dicendum, quod de ratio- ne imaginis est similitudo. Non tamen

Vazquez in 1. partem To. II.

quæcumque similitudo sufficit ad ratio- nem imaginis, sed similitudo quæ est in speciei rei, vel saltem in aliquo signo spe- ciei. Signum autem speciei in rebus cor- poreis maxime videtur esse figura. Vide- mus enim, quod diuersorum animalium secundum speciem sunt diuersæ figuræ, non autem diuersi colores. Vnde si de- pingatur color alicuius rei in pariete, non dicitur esse imago, nisi depinga- tur figura. Sed neque ipsa similitudo spe- ciei sufficit, vel figuræ, sed requiritur ad rationem imaginis origo. Quia, vt Au- gust. dicit in lib. 83. quæstionum, vnum ouum non est imago alterius, quia non est de illo expressum. Ab hoc ergo, quod verè aliquid sit imago, requiritur, quod ex alio procedat simile ei in specie, vel saltem in signo speciei. Ea vero quæ pro- cessionem suæ originem important in di- uinis, sunt personalia. Vnde hoc nomen, imago, est nomen personale.

Ad primum ergo dicendum, quod ima- go propriè dicitur, quod procedit ad si- militudinem alterius. Illud autem, ad cuius similitudinem aliquid procedit, pro- priè dicitur exemplar, improprie vero imago. Sic tamen August. videtur nomine imaginis cum dicit, diuinitatem sanctæ Trinitatis non esse imaginem ad quam factus est homo.

Ad secundum dicendum, quod species, prout ponitur ab Hilario in definitione imaginis, importat formam deductam in aliquo ab alio. Hoc enim modo imago di- citur esse species alicuius, sicut id, quod assimilatur alicui, dicitur forma eius in- quantum habet formam illi similem.

Ad tertium dicendum, quod imitatio in diuinis personis non significat posteri- tatem, sed solam assimilationem.

Conclusio est. Hoc nomen imago in diuinis non est personale.

ARTICVLVS II.

Virum nomen imaginis sit proprium filio.

Ad secundum sic proceditur. Vide- tur, quod nomen imago non sit pro- prium filio. Quia, vt dicit Damasc. Spi- ritus sanctus est imago filij. Non est ergo proprium filij.

2. Præterea de ratione imaginis est si- militudo cum expressione (vt August. di- cit in lib. 83. quæst.) Sed hoc cõuenit Spi- ritui sancto. Procedit enim ab alio secun- dum modum similitudinis. Ergo Spiritus sanctus est imago, & ita non est proprium filij, quod sit imago.

3. Præterea. Homo etiam dicitur ima- go Dei, secundum illud 1. ad Corinth. 2. Vir non debet velare caput suum, quoniã

R 2

ima-

imago, & gloria Dei est. Ergo non est proprium filio.

Lib. 6. c. 7. de Trin. c. 2. tom 3. Sed contra est, quod August. dicit 7. de Trinitate, quod solus filius est imago patris.

Respondeo dicendum, quod Doctores Græcorum communiter dicunt Spiritum sanctum esse imaginem patris, & filij. Sed Doctores Latini solo filio attribuunt nomen imaginis. Non enim inuenitur in canonica scriptura, nisi de filio. Dicitur enim Coloss. 1. Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus creaturæ. Et ad Hebr. 1. Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius. Huius autem rationem assignant quidam ex hoc, quod filius convenit cum patre, non solum in natura, sed etiam in notione principij: Spiritus autem sanctus non convenit cum filio, nec cum patre in aliqua notione. Sed hoc non videtur sufficere: quia sicut secundum relationes non attenditur in divinis, neque æqualitas, neque inæqualitas, (vt August. dicit) ita neque similitudo, quæ requiritur ad rationem imaginis. Vnde alij dicunt, quod Spiritus sanctus non potest dici imago filij, quia imaginis non est imago: neque imago patris, quia etiam imago refertur immediate ad id cuius est imago. Spiritus sanctus autem refertur ad patrem per filium. Neque etiam est imago patris & filij, quia sic esset vna imago duorum, quod videtur impossibile. Vnde relinquitur, quod Spiritus sanctus nullo modo sit imago. Sed hoc nihil est, quia pater, & filius sunt vnum principium Spiritus sancti, vt infra dicitur. Vnde nihil prohibet sic patris, & filij (in quantum sint vnum) esse vnam imaginem, cum etiam homo totius Trinitatis sit vna imago. Et ideo aliter dicendum est, quod sicut Spiritus sanctus (quamvis sua processione accipiat naturam patris sicut & filius, non tamen dicitur natus) ita licet accipiat speciem similem patris, non dicitur imago: quia filius procedit, vt verbum, de cuius ratione est similitudo speciei ad id à quo procedit: non autem de ratione amoris quamvis hoc conveniat amor, qui est Spiritus sanctus in quantum est amor divinus.

Ad primum ergo dicendum, quod Damasc. & alij Doctores Græcorum communiter vtruntur nomine imaginis pro perfecta similitudine.

Ad secundum dicendum, quod licet Spiritus sanctus sit similis patri, & filio, non tamen sequitur, quod sit imago rationis; iam dicta.

Ad tertium dicendum, quod imago

alicuius dupliciter in aliquo inuenitur. Vno modo in re eiusdem naturæ secundum speciem, vt imago regis inuenitur in filio suo. Alio modo, in re alterius naturæ, sicut imago inuenitur in denario. Primo autem modo filius est imago patris, secundum autem modo dicitur homo imago Dei, & ideo ad designandam in homine imperfectionem imaginis, homo non solum dicitur imago, sed ad imaginem, per quod motus quidam tendentis in perfectionem designatur. Sed filius Dei non dicitur esse ad imaginem, quia est perfecta patris imago.

Conclusio est, secundum sententiam Patrum Lat. norum solus filius in diuinis dicitur imago. Circa iteram vtriusque articuli nihil est, quod indiget notatione, & explicatione: nam, quod attinet ad eorum doctrinam, sequenti disputatione explicabimus, quod vero hic nonnulli dicunt recentiores, an in creatura rationali sit imago Trinitatis, & in irrationali sit veligium, extra rem omnino videtur. Quæstionem hanc disputat Thomas infra quæst. 93. & Bonauent. in 1. distict. 3. part. 2. art. 1. & 2. Scotus quæst. 5. & 9. Durand. 1. parte distict. quæst. 1. & 2. parte quæst. 1. Capreol. quæst. 1. & 5. Gabriel. quæst. 1. & 10. Marfil. in 1. distict. quæst. 7. & Ferrarini. 4. distict. 1. tra gentes, cap. 25.

DISPUTATIO CLXV.

An ratio imaginis solum conveniat filio.

Opiniones Durandi, cap. 1.

Rationem imaginis soli filio proprie convenire, authoritate probatur, cap. 2.

In Deo esse rationem imaginis proprie ratione probatur, cap. 3.

Rationem imaginis in Deo soli filio convenire, variè à Doctoribus probatur, cap. 4.

Optima ratione ostenditur solum filium esse imaginem Patris, cap. 5.

CAPVT I.

Opinio Durandi.

Durand. in 1. distict. 28. eodem fere modo de imagine, atque de verbo Philosophabat. Docet igitur primum, imaginem in diuinis non videri pari proprie, sed improprie, & latiori quadam significatione. Probat vero hac ratione: quia autem imago Deo convenit respectu creaturæ, autem personæ respectu alterius respectu creaturæ proprie dici non potest. Quia imago proprie dicitur producta ad imitationem illius, cuius est imago: in Deo autem nihil est productum ad imitationem creaturæ: ergo in eo non est imago creaturæ. Nec obstat, quod dicitur Deus imago creaturæ, cum Scriptura ait, Faciamus hominē ad imaginem & similitudinem nostram, ibi enim sumitur imago improprie, nimirum pro ipso exemplari: ratio est autem eius imitationem fieri aliquid dicitur, sicut ad illius imitationem. Hoc sensu accipitur etiam ad illius imitationem. Hoc sensu accipitur etiam, Chrysost. serm. 5. aduersus Anomæos, postea dicitur, explicans eundem locum Genesis cum dicitur, esse vnam, & eandem, æqualemque imaginem patris, & filij. Nec esse potest imago in vna personā respectu